potius intelligamus. quia potentiam diuinę maiestatis quam sine initio habuit
cum patre habuit. hanc idem homo natus ex tempore accepit. Unde
sequitur. Et dabit illi dominus deus sedem dauid patris sui. Dedit ergo dominus
redemptori nostro sedem dauid patris eius. quando hunc de genere
dauid incarnari disposuit. et populum quem dauid temporali impe
rio rexerat. ipse sua gratia et miseratione ad ęternum perduceret regnum
ut apostolus ait. Qui eripuit nos de potestate diaboli. et ęternę mortis
erumna. et ęternę nobis salutis perquirentibus dona concessit. Sequitur.
Et regnabit in domo iacob in ęternum. et regni eius non erit finis.
Domus quippe iacob sancta electorum ecclesia quique fideles catholici
intelliguntur. uitia sub se et peccata calcantes in quibus diabolus
regnat. cum christus cor eorum per fidem et dilectionem inhabitans regit.
et ab omni protegit malo. atque ad percipienda ęternę retributionis do
na continuo sua protectione gubernat. Regnatque in eis sine fine
in futuro. cum omnes fideles et iustos ab erumna huius sęculi educens. la
boriosa certamine ad regnum secum possessuros perducit ęternum. Ait a III
autem maria ad angelum. Quomodo fiet istud quoniam uirum non cog
nosco. Ac si diceret. Quomodo inquit fieri potest ut concipiam pa
riamque filium. quę in uirginitate uitam meam consummare dispo
[...] Non autem quasi incredula uerbi angeli quomodo hoc impleri
[...]eret interrogauit. Quę hoc ita fieri a propheta dictum nouerat.
[...]uo ordine implendum esset. angelo hoc dicendum reseruauit.
[...] et angelus respondens dixit ei. Spiritus sanctus superueniet in te. et uirtus al
[...]simi obumbrabit tibi. Quod diuina actum est pietate. quia spiritus
[...] superueniens. gratia sua cor illius impleuit. et in utero illius sacratissimum
[...]eneranissimum redemptoris nostri corpus sola sua operatione
[...]uit. Absque omni uirili concupiscentię tactu. corpusque illius ab
[...] ęstu concupiscentię carnalis temperauit et emundauit. et dona
[...]elestibus mentem illius pariter conseruauit et corpus. Sequitur. Ideoque
[...]ascetur ex te sanctum. uocabitur filius dei. Quia de spiritu sancto concipis.
[...]erit quod generas. Et quia contra humanę conditionis morem
[...]o concipis. supra humanę consuetudinis modum dei filium gene
[...]. Nos quippe homines. omnes in iniquitatibus concipimur. et in delictis